



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Opus Illustre In Felicem Memoriam Elizabethæ Angliæ Reginæ.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

citante, *Ipsius enim & Genus sumus*. Multò magis Consanguinitatis illius Jura, inter Nos *Christianos* colenda sunt: Quibus specialiter revelatum, omnes Homines ex una Massa Terræ proditisse; Cunctasque Orbis Generationes, è duobus *Protoplastis*, propagatas esse. Nos (inquam) sine Hæsitatione ullâ agnoscere debemus, nullas *Genes* inter se peregrinas, aut Sanguinis alieni esse; Neque charitatis sensu minus affici, quàm *Senex* ille *Comicus* præ se tulit, qui dixit; Homo sum, *Humani nihil à me alienum puto*. Quod si ea intercedit, qualem diximus, inter Homines universos, Confœderatio, certè alicui Fini inservit, nec prorús otiosa est. Aliquas ergò Actiones, aliquas Res respicit. Quæ tandem illæ sunt? Num fortè hoc *Fœdus* contra *Feras*, aut *Elementa Ignis & Aquæ* initur? Nequaquam: Sed contra *Hominum Cœtus* & *Greges* quospiam, qui à *Lege Nature* pœnitus desciverunt & degeneraverunt; quique in

Corpore ipso suo, & *Fabricâ Status*, *Monstro* sum quiddam habent; qui denique, juxta *Exempla* dudum prolata, communes *Humani Generis* *Hortes* & *Gravamina*; Atque insuper *Opprobria Naturæ*, & *Dignitatis Humanæ*, merito censeri possint, Tales *Hominum Greges*, omnium *Nationum* interest, tam vividi sensus esse; ut, si fieri possit, supprimant; Quandoquidem *Populus ipse*, qui talia patitur, *Remedium* sibi ipsis præstare nequeunt. Atque hoc, quod dico, metiendum est, non tam ex *principiis Iureconsultorum*; quàm ex *Lege Charitatis*; *Lege Proximi*, quæ non minùs *Samaritanum* quàm *Levitam*, includit; *Lege Filiorum Adæ de Massa unâ*; super quas *Leges Primitivas* *Opinio* ista fundatur; quas impugnare (si liberè loqui liceat) fuerit propemodum, in *Naturâ Schismaticum* esse.

Reliqua perficere non vacabat.

OPUS ILLUSTRE
IN FELICEM MEMORIAM
ELIZABETHÆ
ANGLIÆ REGINÆ.
Cui accesserunt, veluti ejusdem generis,
Imago Civilis Julii Cæsaris; Imago Civilis Augusti Cæsaris;
Epistola ad Fulgentium.

In felicem memoriam

ELIZABETHÆ
ANGLIÆ REGINÆ.

Elizabetha & *Natura* & *Fortuna* mirabilis inter *Fœminas*, memorabilis inter *Principes*, fuit. Neque hæc res indicium *Monachi* alicujus, aut hujusmodi *Censuris umbratilis*, desiderat: Nam isti homines, stylo acres, iudicio imparés, & *Patris* suæ memores, *Rerum* minns fideles testes sunt. Ad *principes viros* pertinet hæc cognitio, atque ad eos qui *Imperatorum gubernacula* tractarunt, & *Rerum Civilium Ardua* & *Arcana* norunt. Rarū in omni est memoria *muliebri imperium*; rarior in eo *felicitas*; rarissima cum *felicitate diuturnitas*. Illa vero quadragesimum quartum *Regni* sui annum complevit; neque tamen *felicitatis* suæ superstes fuit. De hac *felicitate* pauca dicere institui, neque in laudes excurrere. Laudem enim *Homines* tribuunt, *felicitatem Deus*.

Primum in parte *felicitatis* pono, quod ad *Imperatorium fastigium* à *privata fortuna* evehct sit. Siquidem hoc in moribus & opinionibus hominum penitus infedit, ut quæ præter spem & expectationem eveniunt, majori *felicitati* deputentur. Sed non hoc est quod volo; illud intueor, *Principes*, qui in *Domo Regnatricis*, & ad spem *Successionis* non dubiam nutriti sunt, ab educationis indulgentia & licentia depravatos, plerumque & minus capaces, & minus moderatos, evadere. Itaque optimos & excellentissimos *Reges* reperias, quos utraque fortuna erudit: Talis apud nos fuit *Henricus septimus*, & apud *Gallos Ludovicus duodecimus*;

qui recenti memoria, & eodem ferè tempore, non tantum à *privata*, sed etiam ab *adversa* & *exercitata fortuna*, *Regnum* acceperunt, atque (ille *Prudentia*, hic *Iustitia*) horuere. Similis fuit & hujusce, *Principis* ratio; cujus initia & spes variavit fortuna, ut in *Principatu* ad extremum erga illam constans & æquabilis esset. Nam *Elizabetha natalibus* suis *successioni* destinata, deinde exheredata, tum *posthabita* fuit; eadem *Regno Fratris* fortuna magis propitia & serena, *Regno Sororis* magis turbida & ancipiti usa est. Neque tamen ex vinculis subito in *Regnum* assumpta est, ut ab *infortunio* exacerbata intumesceret; sed *libertati* restituta, & *expectatione* aucta, tum demum *Regnum* sine *Tumultu* aut *Competitore* placidè & *felicissimè* obtinuit. Atque hæc ideo adducimus, ut appareat, *Divinam Providentiam* optimam *Principem* meditatam, per istiusmodi *disciplinæ gradus* eam præparasse, & extulisse. Neque sane *natalium dignitatis* calamitas *Matris* obesse debet; cum præsertim factis constet, *Henricum octavum* prius *amori* novo quam *ire* adversus *Annam* indulgisse; ejusque *Regis* natura, & ad *amores* & ad *suspiciones* propensissima, & in *iisdem usque* ad sanguinem præceps, *posterioris* notam non effugiat. Adde, quod *Criminatione*, vel *personæ ipsius*, ad quem referrebat, nomine, minus probabili, & tenuissimis *conjecturis* innixa, circumventa erat; quod & fama, etiam tum, occulto ut solet murmure excepit, & *Anna* ipsa,

ipsa, celfo animo, & memorabili voce, sub tempus mortis suae proteftata. Naeta enim nuncium (ut existimabat) & fidum benevolum, eadem hora, qua ad Mortem se parabat, hujusmodi mandata ad Regem perferenda dedit; Regē in ipsa novis Honoribus cumulanda institutum suum optime servare, & perpetuo tueri; cum illam primum generosa stirpe ortam sed Nobilitatis Titulis non insignitam, dignitate Marchionissa ornasset, deinde in Regni & thori consorsium accepisset; & postremo, quia non restabat terreni Honoris Gradus altior, Innocentem ad Coronam Martyrij evehere voluisset. Atqui nuncius ille ad Regem, alio amore flagrantem, hoc perferre non ausus est; sed fama, veritatis vindex, ad posteros pertulit.

Neque exigua sane pars felicitatis Elizabethae, etiam mensura, ac veluti circulum ipsum, Regimini sui nobis visum est: Non tantum quia diuturnum, sed quia spatium illud Aetatis suae occupavit, quod Rerum Moderamini, & habentis Regni flectendis & molientis, aptissimum esset. Annos enim viginti quinque; (qua aetate Curatūra finitur) nata cum regnare inciperet, ad septuagesimum aetatis annum imperium produxit. Itaque, nec Pupilla detrimenta, & aliena Arbitria; nec rursus exactae & aegrae senectutis incommoda experta est. Senectus autem, etiam privatis, miseriarum satis; sed Regibus, praeter communia Aetatis mala, adhuc Status sui declinationes, & in glorios exitus, afferre solet. Nemo enim ferē in Regno ad multam & invalidam senectutem pertingit, quin aliquam imperij & existimationis diminutionem patiat: Cujus rei exemplum maxime eminet in Philippo secundo Rege Hispaniarum, Principe potentissimo, & imperandi peritissimo; qui extremis suis temporibus, & fessa aetate, hoc quod diximus penitus sensit: ideoque prudentissimo consilio se rerum conditioni submitit, Territorij in Gallias acquisitis se ipse multavit, pacem ibidem firmavit, alibi tentavit, ut res compositas atque integra omnia posteris relinqueret. Contra, Elizabethae Fortua tam constans & valida fuit, ut nec ulla rerum declinatio vergentem certe sed tamen adhuc vigentem, aetatem sequeretur: Atque insuper, insignum felicitatis suae certissimum, non prius diem obierit, quam de defectione in Hibernia prospero praelii evētu decretum esset; ne Gloria ejus aliqua ex parte deformata & imperfecta videretur. Et etiam illud cogitandum censco, in quali populo imperium tenuerit: Si enim in Palmyrenis, aut Asia imbelli & molli regnū sortita esset, minus mirandum fuisset; cum effeminato populo femina Princeps competeret: Verum in Anglia, Natione ferocissima & bellicosissima, omnia ex nutu femina moveri & cohiberi potuisse, summam merito admirationem habet.

Neque haec inclinatio populi sui, belli cupida, & pacem aegre tolerans, obfuit, quo minus perpetuis suis temporibus pacem coleret & teneret. Atque hac ejus voluntatem cum successu conjunctam inter maximas ejus laudes pono. Hoc enim aetati suae felix, hoc sexui decorum, hoc conscientiae salutare fuit. Tentata paulisper circa decimum Regni sui annū in partibus Borealibus rerum commotio sed statim sopita & extincta est. Reliqui anni interna pace, eaque secura atque alta, floruerunt. Pacem autem florentissimam judico, duabus de causis; quae ad me-

ritum Pacis nihil faciunt, ad gloriam autem maxime Uua quod Vicinorum calamitatibus, veluti flammis lucentibus, magis fiebat conspicua & illustrata: Altera, quod commodis pacis armorum honor non defuit; cum celebritatem Nominis Anglici in armis & re militari per multa decora non solum retineret, sed augetet. Nam & Auxilia in Belgium, Galliam & Sociam missa; & Navales expeditiones susceptae in Indias; atque ex illis nonnullae; per universi Globi Terrarum ambitum factae; & classes in Lusitaniam, & ad oras Hispaniae infestandas submissae; & Rebelles in Hibernia saepius concili & domiti, nihil aut de virtute bellica Genis nostrae remitti, aut de ejusdem fama de perire, sinebant.

Aderat etiam Gloria meritum, quod & Regibus vicinis tempestivis ab ipsa auxiliis Regnum conservatum sit; & populis supplicibus, pessimo Principum consilio Ministrorum suorum crudelitati, & plebis furori, & omni lanienae & vastitati relictae & fere devotis, levamentum malorum ab ea datum est; per quod res eorum adhuc steterunt. Nec minus consiliis, quam auxiliis, benefica & salutaris Princeps fuit: ut quae Regem Hispaniarum toties de lonenda in subditos suos in Belgio ira, & illis suo imperio tolerabili aliqua conditione restituendis, interpellavit. Et Reges Galliae perpetuis & repetitis Monitis de Edictis suis pacem spondentibus observandis, maxima fide sollicitavit. Non negaverim consilio ejus successum defuisse: Neque enim prius illud fuit Fatum Europa commue; ne forte ambitio Hispaniae, veluti carceribus liberata, in Regnorum & Rerum publicarum Orbis Christiani detrimentum (ut tunc res erant) se effunderet: Hoc etiam posterius non sicut sanguis tot innocentium, cum uxori- bus & liberis ad focos & cubilia sua per infimam plebis fecerit, ut belluas quasdam publica Authoritate & animatas & armatas & missas, effulus; Qui ut Regnum tam nefario scelere obligatum, mutuis cedibus & contrucidationibus expiaretur, in ultionem poscebat. Illa tamen, utcumque; officium foederatae & prudentis, & benevola, praestitit.

Alia etiam subest causa, cur pacem ab Elizabetha cultam & conservatam admireremur: ea nimirum, quod non a temporum inclinatione, sed ab ejus prudentia, & rebus bene ordinatis, pax ista profecta sit. Nam cum & interna factione obcausam Religionis laboraret, & hujus Regni robur & praedictum univere Europa instar propugnaculi esset adversus Regis Hispaniae illis Temporibus formidabilem & exundantem ambitionem & potentiam, belli materia non defuit; verum ipsa & copiis & consiliis superfluit. Istud evētus docuit maxime memorabilis inter res gestas nostri seculi univere, si felicitate spectes. Nam cum Cassis Hispaniae, tanto rerum tumore, & totius Europa terrore & expectatione, & tanta victoria fiducia Praea nostra sulcaret, nec Naviculam aliquam in mari accepit, nec Villulam aliquam incendio vastavit, nec Litus omnino attingit. Sed praelio fusa, misera fuga & crebris naufragiis dissipata est, atque pax Anglico solo & finibus immota & inconcussa mansit. Nec minus felix in Conjuratorum insidiis devitandis, quam in copiis Hostibus devincendis & propullandis, fuit: non paucae enim contra vitam ejus Conspiraciones factae, felicissime & patefactae & disturbatae sunt: Neque ex eo vita ejus magis trepida aut anxiosa; non Sipaorum numerus

numerus auctus; non tēpus intra Palatium actum, & rarus in publicum processus; sed secura, & fidens, & potius liberationis à periculo quam periculi ipsius memor, nihil de confidēdine sua pristina vivendi mutavit.

Etiā illud notatu dignū videtur, qualia *Tempora* fuerint in quibus floruit. Sunt enim quædam *secularia* tam barbara & rerum nescia, ut *Homines*, tanquam Animalium greges, imperio coercere nil magnum fuerit. Hæc autem *Princeps* in *tempora* eruditissima & excultissima incidit; in quibus eminebat & excellere non absque maximis *ingenij* dotibus & singulari *virtutis* tēperamento dabatur. Etiā *imperii faminarum* nuptiis ferè obicurantur, laudisque & acta in *maritos* transcunt: illis autem qua innupta degunt, propria & integra gloria manet. In illam vero hoc magis cadit, quod nullis *imperij* adminiculis, nisi qua ipsa sibi comparaverat, fulgebatur: Non *frater* *uterinus* addera, non *patruus*, non alius quilibet *familia* & *stirpe Regia*, qui *particeps curarum*, & dominationis subsidium esset. Sed & eos, quos ipsa ad Honores exexerat, ita & cohibuit & commiscuit, ut singulis maximam complacendi sollicitudinem injiceret; atque ipsa semper sui juris esset. *Orba* sane fuit, nec *stirpem* ex se reliquit: Quod etiā felicissimis contigit, *Alexandro Magno*, *Iulio Casari*, *Trajano*, aliis: & semper varie jactatum, & in contrarias partes trahi & disputari solet; cum alii hoc in diminutionem *felicittatis* accipiant, ne forte *homines* supra mortalem conditionem bearentur, si & in dividuo, & in speciei propagatione, felices essent; alii autem in cumulum *felicittatis* rem vertant, quod ea demum *felicittas* completa videatur, in quam fortuna nil amplius liceat; quod, si *posteri* sint, fieri non potest.

Aderant ei & *externa*; *Statura* *procera*; *Corporis* *decora* *cōpages*; *Summa dignitas* *Oris* cum *suavitate*; *Valitudo* maxime prospera. Superest & illud, quod ad extremum valens & vicens, nec *fortune commutationes* nec *senectutis mala* expreta, eam, quam tantopere sibi votis precari solebat *Augustus Casar Euthanasiam*, facili & leni obitu sortita sit. Quod etiā de *Antonio Pio imperatore* optimo, celebratur; cujus mors somni alicujus suavis & placidi imaginem habebat. Similiter & in *Elizabetha* morbo nil atrox, nil ominosum, nil ab humana natura alienum erat. Non desiderio vite, non morbi impatientia, non doloris cruciatibus torquebatur. Nullum aderat *symptoma* dirum, aut fecdum; sed omnia ejus generis erant, ut natura fragilitatem, potius quam corruptionem aut dedecus ostenderent. Paucos enim ante *Obitum* dies, ex *corporis* nimia siccitate, & curis qua *Regni* culmen sequuntur at-enuata, nec unquam mero aut uberiore dita irrigata, nervorum rigore percussa, vocem tamen (quod fieri non solet in ejusmodi morbo) & mentem & motum, licet traditiorem & hebetiorem, retinuit. Atque is personæ ejus status paucis diebus tantum duravit; ut non tanquam *actus vite* novissimus, sed tanquam *primus gradus* ad mortem fuerit. Nam imminutus *facultatibus* in vita diu manere, miserum habetur; sed à sensu paulatim sopito ad mortem properare, placida & clemens vita clausula est.

Addo & illud in *felicittatis* ejus cumulum insi-

gnem; quod non tantum *nomine* proprio, sed & *Ministorum Status* virtute, felicissima fuit.

Tales enim viros nacta est, quales fortasse hæc *Insula* ante eū diem non peperit. *Deus* autē *Regibus* favēs, etiā *Spiritus Ministorum* excitat & ornat.

Restant *felicittates posthuma* duæ, iis qua vivam comitabantur ferè celliores & augultiores: Una *SUCCESSORIS*, altera *MEMORIA*. Nam *SUCCESSOREM* sortita est eum, qui licet & *mascula* *virtute*, & *prose*, & *NOVA IMPERII ACCESSIONE*, fastigium ejus excedat & obumbret; tamen & *NOMINI*, & *HONORIBUS* ejus fa-veat, & *Actis* ejus quandam perpetuitatem donet; cum nec ex *Personarum* *delectu*, nec ex *Institutorum ordine*, quicquam magno opere mutaverit. Adeo ut raro *Filius* *parenti*, tanto silentio, atque tam exigua mutatione & perturbatione successerit. *MEMORIA* autem ejus, ita & in ore hominum, & in animis viget, ut per *MORTEM* extincta invidia, atque incensa fama, *felicittas* *memoria* cum *felicitate* *viva* quodammodo certet. Nam si qua ex studio partium, & dissensione *Religionis*, vagatur *FAMA* factiosa (qua tamen ipsa jam timida videtur, & consensu victa) ea & sincera non est, & perennis esse non potest. Atque ob eam causam præcipue, hæc, qualia sunt, de *felicitate* ejus & *divini* *favoris* notis, collegi; ut malevolus aliquis tantis *Dei* benedictionibus suas maledictiones inferere vereatur. Si quis autem ad hæc, ut ille ad *Casarem*, *Qua miremur, habemus; sed qua laudemus, expectamus*: sane existimo veram *Admirationem* quendam *laudis* excessum esse. Neque ea, quam descripsimus, *felicittas*, ulli evenire potest, nisi qui & à *Divina Gratia* eximie sustineatur atque foveatur; ac etiā *moribus*, & *virtute*, hanc *fortunam* sibi, aliqua ex parte, sinxerit. Sed tamen visum est, pauca admodum, qua ad *mores* pertinent adjungere, in iis solummodo, qua iniquorum sermonibus maxime aditum & tomitem præbere videntur.

Fuit *Elizabetha*, in *Religione* *pia* & *moderata*; & *constans*, ac novitatis inimica. Atque *pietatis* indicia, licet in factis, & rebus, quas gessit, maxime clucescant; tamen, & in vita ratione, & consuetudine familiari, adumbrata sunt. *Liturgis* & *Divinis Officiis* aut *facello* *solemniore*, aut *interiore*, raro, absuit. In *Scripturis*, & *Patrum* *scriptis* (præcipue *Beati Augustini*) legendis, multum versata est. *Preces* quaedam ipsa, ex occasione, & re nata, composuit. In *Dei* mentionem, vel communi sermone incidens, ferè semper *Creatoris* nomen addidit; & oculos, & vultum, ad humilitatem & reverentiam quandam cōposuit, quod & ipse sepe notavi. Quod autem quidam vulgaverunt, eam minime *mortalitatis* memorem fuisse, adeo ut nec de *senectute*, nec de *morte*, mentionem quo animo ferret, id falsissimum fuit; cum ipsa, sæpissime multis ante *mortem* annis, magna comitate, se *vetulam* diceret; & de *inscriptione sepulchri*, quid sibi maxime placeret, sermones haberet; eū diceret, sibi *gloriā*, & *splendidos Titulos*, minime cordi esse; sed *lineam* *memoriae* unam, aut alteram, qua *nomen* ejus tantum, & *Virginitatē*, & *Tempus Regni*, & *Religionis Instauracionem*, & *Pacis Conservationem* brevi verborum compendio significaret. Verum est, cum ætate florenti, & liberis procreandis habili, de *SUCCESSORE* declarando interpellaretur, respondisse, *Se linæum sepulchrale sibi viva ante oculos obrendi nullo modo*

passuram. Attamen, non multis ante mortem annis, cum cogitabunda esset, ac ut verisimile est, de mortalitate sua meditaretur, ut quidam ex intimis sermonem intulisset, quod munera & loca multa & magna in Republica nimium diu vacarent, commotior & affurgens, Se certo, scire suum locum ne tantillum temporis vacaturum, dixit.

Quod ad moderationem in Religione attinet hærere videbimur, propter legum in subditos Religionis Pontificiæ latarum severitatem: sed ea proferemus, quæ nobis & certo nota, & diligenter notata sunt. Certissimum est, hunc fuisse istius Principis animi sensum, ut vim conscientiis adhibere nolle; sed rursus, statum Regni sui prætextu conscientia & Religionis in discrimen venire non permitteret. Ex hoc fonte, primum, duarum Religionum libertatem & tolerationem auctoritate publica in populo animoso & feroce, & ab animorum contentione ad manus & arma facile veniente, admittere, certissimam perniciem iudicavit. Etiam in novitate Regni, cum omnia suspecta essent, ex Præsulibus Ecclesiæ quosdam magis turbidi & factiosi ingenii, auctoritate legis accedente, sub custodia libera habuit; reliquis utriusque Ordinis, non acri aliqua inquisitione molesta, sed benigna conniventia præsidio fuit. Hic primus rerû status. Neque de hac clementia, licet excommunicatione Pii Quinti provocata (quæ & indignationem addere, & occasionem præbere novi instituti potuit) quicquam ferè mutavit; sed natura sua uti perseveravit. Nā prudētissima Fœmina, & magnanima, huiusmodi terrorum sonitu nil admodum commota est; secura de populi sui fide & amore & de Factionis Pontificiæ intra Regnum ad nocendum virium tenuitate, non accedente, Hoste externo. At sub vicessimum tertium Regni sui annû, rerum commutatio facta est. Atque hæc temporis distinctio, non commode ficta, sed in publicis Actis expressa, ac veluti in Ære incisa est. Neque enim ante annû eum gravior aliqua pœna per leges prius sancitas Subditis Pontificiæ Religionis incubuit. Verum sub hoc tempus, ambitiosum & vastum Hispaniæ consilium de hoc Regno subjugando paulatim detegi cœpit: hujus pars magna fuit, ut omnibus modis infra Regni viscera Factio à statu aliena, & rerum novarum cupida, excitaretur, quæ Hosti invadenti adhereret. Ea ex dissensione Religionis sperabatur: Itaque huic omni opera incumbendum statuebant, & pullulantibus tunc Seminaris Sacerdotes in Regnum immissi, qui studium Religionis Romanæ excitarent & spargerent, vim excommunicationis Romanæ in fide Subditorum solvenda docerent & inculcarent, & animos hominum novarum rerum expectatione erigerent & præpararent.

Circa idem tempus, & Hibernia apertis armis tentabatur; & Nomen & Regimē Elizabethe variis & sceleratis libellis proscindebatur: deniq; in solitus erat Rerum tumor, prænunciis majoris motus. Neque sane dixerim singulos Sacerdotes in participationem consilii assumptos, aut quid ageretur confcios, sed tãtummodo prava alienæ malitiæ instrumenta fuisse. Sed tamē hoc verum est, & multis confessionibus testatum, omnes ferè Sacerdotes, qui ab eo, quem diximus, anno usq; ad tricessimum Elizabethe annum (quo consilium Hispaniæ, & Pontificium, per memorabilem illum & Classis &

Terrestrium copiarum apparatus executioni mandatum erat) in hoc Regnum immissi erant, habuisse in mandatis inter functionis officia hoc insuper, ut, Non posse diutius stare; Novam rerum faciem & conversionem non ita multo post conspicuam fore: cura esse & Pontifici & Principibus Catholicis Rem Anglicam, modo ipsi sibi non desint, insinuarent. Etiam ex Sacerdotibus nonnulli rebus & machinationibus, quæ ad Status labefactionem, & subversionem pertinebant, manifeste se immiscuerant; & quod maxime movit, per literas ex multis partibus interceptas cõsiliij hujus & negotij ratio patefacta est; in quibus scriptum erat, Vigilantiam Regniæ & concilij sui circa Catholicos elusam iri; Illam enim ad hoc tantum inentiam, ne quod Caput in persona alicujus Nobilis aut viri primarij Catholicorum factioni attolleret: At consilium jam tale adhiberi, ut per homines privatos, atque ex inferiori nota, neq; eos inter se conspirantes & confcios, per secreta Confessionum omnia disponerentur & præpararentur. Atque hæc tum artes adhibebantur, huiusmodi hominibus (quod etiam nuper in casu non dissimili videre licuit) iustitio & familiares. Hanc tanta periculorum tempestate lex quædam Necessitatis imposita est Elizabethe, ut eam partem Subditorum, quæ à se alienata, & per huiusmodi venena facta erat quasi insanabilis, atque interim ob vitam privatam à publicis muneribus & expensis immuncem dicesceret, gravioribus legum vinculis constringeret. Atque ingravescente malo, cum origo ejus Sacerdotibus Seminariorum deputaretur, qui in exteris partibus nutriti, & exterorum Principum, hujus Regni ex professo Hostium, opibus & elemosynis sustentati essent; in locis versati, ubi ne nomē quidem ipsum Elizabethe, nisi ut Hereticæ, Excommunicatæ, & Divis devotæ, audiebatur; quicque, et si non ipsi criminibus majestatis imputi ac eorû, qui huiusmodi sceleribus operâ dedissent, intimi agnoscerentur, quicque suis artibus & venenis ipsam Catholicorum Massam, antea magis dulcem & innoxiam depravassent, & novo veluti fermento & perniciosa malignitate infecissent; Non aliud inventum est remedium, quam ut huiusmodi homines ab omni in hoc Regnum additu sub pœna Capitis prohiberentur: quod tãdem vicessimo septimo Regni sui anno factum est. Neq; ita multo post eventus ipse, cum tanta tempestas hoc Regnum adorta esset, & totis viribus incubisset, horum hominum invidiam & odium quicquam lenibat, sed potius auxit; ac si omnem charitatem Patriæ exuissent. Ac postea sane, licet metus ab Hispania (qui hujus severitatis stimulus erat) confedisset aut remitteretur; tãmen cum & memoria præteriti temporis in animis & sensibus hominum alte infixâ maneret, & leges semel factas, aut abrogare inconstans, aut negligere dissolutum videretur; ipsa rerum vis Elizabethe traxit, ut ad priorem rerum statum, qui ante vicessimum tertium Regni sui annum erat, revertere sibi integrum non esset. Huc accessit quorundam in Fiscis commodis augendis industria; & Ministrorum Iustitiæ, qui non aliam Patriæ salutem, quam quæ legibus cõtinetur, introspicere aut intueri consueverunt, sollicitudo; quæ quidē executionem legum poscebant & urgebant. Ipsa tamen (in naturæ suæ specimen manifestum) ita legum mucromen contudit, ut pauci, pro numero, Sacerdotes capitali

capitali supplicio plesterentur. Neq; hæc defensionis loco dicta sunt, qua res ista non egent: cum & salus Regni in hoc verteretur, & universæ istius severitatis ratio & modus longe infra sanguinaria, & inter Christianos nominanda, & eaque potius ab arrogantiâ atque malitia quam à necessitate profecta, Pontificiorum exempla steterit. Sed ejus, quod asseruimus, memores, eam in causa Religionis moderatam fuisse, & variationem, quæ fuit, non in natura sua, sed in temporibus extitisse, demonstrasse nos existamus.

De Constantia autem Elizabethæ in Religione ac ejus cultu, maximum argumentum est, quod Religionem Pontificiam Regno sororis auctoritate publica, & multa cura impense & stabilitam & altas jam radices agentem, atq; omnium, qui in magistratibus & cum potestate erant, consensu & studio firmatam; tamen quandoquidem nec Verbo Dei, nec Primitiva puritati, nec conscientia suæ, cõsentanea esset, maximo animo & paucissimis adjunctis convulsit & abrogavit. Neq; id præceps, aut acri impetu, sed prudenter, & tempestive, fecit. Idque, tum ex aliis multis rebus; tum ex Responso quodam suo per occasionem factò, conjicere licet. Nam primis Regni diebus, cū in omen & gratulationem novi Principatus vinciti (ut moris est) solverentur, accessit ad eam ad sacellum tum pergenter, Aulicus quidam; qui ex natura, consuetudine jocandi, licentiam quandam sibi assumpserat: Isq; sive ex motu proprio, sive à quodam prudentiore immissus, libellum supplicem ei porrexit, & in magna frequentia clara voce addidit, Restare adhuc quatuor aut quinque vincitos, idq; immerito; illis se libertatē ut reliquis perere; eos esse quatuor Evāgelistas, atq; etiam Apostolum Paulū, qui diu ignota lingua, tanquam carcere, conclusi, inter populū conversari non possent. Cui illa prudentissime, Sciscitandum adhuc melius ab ipsis esse, utrum liberi vellent, necne. Atque ita, improvise quæstioni suspenso Responso occurrit; veluti omnia integra sibi fervans. Neque tamen timide, & per vices, hæc instillavit; sed ordine gravi, & maturo, habito inter partes colloquio, & peractis Regni Comitibus, tum demum, idq; intra orbem unius anni vertentis, ita omnia quæ ad Ecclesiam pertinebant, ordinavit & stabilivit, ut ne punctum quidem ab illis ad extremum vitæ diē, recedi pateretur. Quin & singulis fere Regni Comitibus, ne quid in Ecclesia disciplina, aut ritibus, innovaretur, publice monuit. Atque de Religione hæc tenus.

Quod si quis ex tristioribus, leviora illa exaggeret; quod colis, ambiri, quin & Amoris nomine se celebrari & extolli sinebat, atq; volebat; eaq; ultra sortem atatis continuabat: Hæc tamen si mollius accipias, admiratione & ipla carere non possunt; cum talia sine fere, qualia in fabulosis narrationibus inveniantur; de Regina quadam in insulis Beatis e jusque Aula, atque Institutis, quæ Amoris administrationem recipiat, sed lasciviam prohibeat: sin feverius; habent & illa admirationem, eamque vel maximam, quod hujusmodi delicæ, non multum Fame nil prorsus Majestati ejus officerent; nec Imperium relaxarent, nec impedimento notabili rebus & negotiis gerendis essent. Hujusmodi enim res, se cum publicâ fortuna commiscere, haud raro solent. Verum, ut sermones nostros claudamus: Fuit certe ista Princeps Bona & Morata; etiam talis

videri voluit. Vitiâ odorat, & se bonis Artibus clarescere cupiebat. Sane ad mentionem Morum suorum in mentem, mihi venit, quid dicam. Cum scribi ad Legatum suum jussisset, de quibusdam mandatis, ad Reginam Matrem Valesiorum separatim perferendis; atque qui ab Epistolis erat, clausulam quandam in servisset, ut Legatus diceret, tanquã ad favorem aucupandum, Esse nimirum ipsas duas Fœminas principes, à quibus, in usu rerum & Imperandi virtute & Artibus, non minora, quam à summis viris, expectarentur; Comparationem non tulit, sed deleri jussit: seque artes longe dissimiles, & instituta diversa, ad imperandum asserre, dixit. Delectabatur etiam haud parum, si quis forte hujusmodi sermonem intulisset; Eam, etiam si in privata & mediocri Fortuna avum traxisset, tamen non absq; aliqua excellentia nota apud homines virtutem fuisse; Adeo nihil à Fortuna sua ad virtutis laudem mutare, aut transferre, volebat. Verum si in ejus laudes, sive Morales, sive politicas, ingrederet; aut in communes quasdam virtutum notas, & commemorationes incidendū est, quod tam rara Principe minus dignum; aut si propriam ipsi lucem, & gratiam, conciliare velim, in vita ejus Historiam prolubendum, quod & majus otium, & venam uberiorem desiderat. Ego enim hæc paucis, ut potui. Sed revera dicendum est; non alium verum hujus Fœmina laudatorem inveniri posse, quam tempus: quod cum tam diu jam volvitur, nihil simile, in hoc sexu, quoad rerum Civilium administrationem peperit.

Imago Civilis Julij Casaris.

Julius Casar à principio fortuna exercita usus est, quod ei in bonum vertit: Hoc enim illi fastidia detraxit, nervos intendit. Animus ei inerat studio & affectu turbidus; iudicio & intellectu admodum serenus: Hocque indicat facilis illa sui explicatio, tū in rebus gerendis, tū in sermone. Nemo enim, aut celerius decernebat, aut magis perspicue loquebatur: Nil impeditum, aut in volutum quis notaret. Voluntate autem & appetitu is erat, qui nunquam partis acquiescebat, sed ad ulteriora semper tendebat: Ita tamen ut non imūtato fastidio, sed legitimis spatiis, transitus Actionum gubernaret; semper enim perfectissimas clausulas Actionibus imponebat. Itaque ille, qui post tot victorias, & tantam partem securitatem, reliquias Belli Civilis in Hispania non contempsit, sed præsens subegit; post extremum illud demum Bellum Civile confectum, & omnia undique pacata, expeditionem in Partos continuo moliebatur. Erat proculdubio summa Animi magnitudine, sed ea, que magis amplitudinem propriam, quam merita in Commune spiraret. Prorsus enim omnia ad se referēbat, atque ipse sibi erat fidissimum omnium Actionum suarum Centrum: Quod maximam ei, & perpetuam fere felicitatem peperit. Non enim Patria, non Religio, nō Officia, non Necesitudines, non Amicitia, destinata ejus remorabatur, vel in ordinem redigebant. Nec magnopere versus in Eternitatem erat; ut qui nec Statum rerum stabiliret, nec quicquam egregium, vel mole, vel instituto, fundaret vel conderet; sed veluti ad se cuncta retulit. Sic etiam ad sua Tempora coagitationum fines recepit. Nominis tantum celebritate frui voluit, quod

quod etiam sua id non nihil interesse putaret. Ac in propriis certe votis magis potentia quam dignitati studebat; Dignitatem enim & Famam, non propter se, sed ut *instrumenta potentia* colebat. Itaque veluti naturali impetu, non morata aliqua disciplina ductus, rerum potiri volebat; iisque magis uti quam dignus videri: Quod ei apud *Populum*, cui nulla in erat *Dignitas*, gratiosum erat; apud *Nobiles* & *Proceres*, qui & suam dignitatem retinere volebant, id obtinuit nomen, ut cupidus & audax videretur. Neque multum sane a vero aberrarunt, cum natura audacissimus esset, nec verecundiam unquam, nisi ex composito, indueret. Atque nihilo fecius, ita illa efficta erat *Audacia*, ut eum nec temeritatis argueret, nec fastidio *homines* enecaret, nec Naturam ejus suspectam faceret; sed ex morum simplicitate quadam, & fiducia, ac nobilitate Generis ortum habuisse putaretur: Atque in ceteris quoque rebus omnibus id obtinuit, ut minime callidus, aut veterator haberetur, sed apertus & verax. Cumque summas simulationis & dissimulationis artifex esset, totusque ex artibus compositus, ut nihil naturae suae reliquum esset, nisi quod ars probavisset; tamen nil artificii, nil affectationis apparet, sed natura & ingenio suo frui, eaque sequi exultaretur. Neque tamen minoribus & vilioribus artificis & cautelis omnino obnoxius erat, quibus *Homines* rerum imperiti, & qui non propriis viribus sed alienis Facultatibus subnixi, ad auctoritatem suam tuendam uti necesse habent; utpote qui omnium *actionum* humanarum peritissimus esset, atque cuncta paulo majora ipse per se, non per alios transigeret. *Invidiam* autem extinguere optime norat, idque vel Dignitatis jactura consequi non alienum a rationibus suis duxit; veramque potentiam amplexus, omnem illam inanem speciem & tumidum Apparatum, potentiae aequo animo per totum fere vitae cursum declinavit & transmisit. Donec tandem sive satiatus *potentia*, sive *adulationibus* corruptus, etiam *insignia potentiae*, nomen *Regnum* & *Diadema*, concupivit, quod in perniciem ejus venit. *Regnare* autem jam usque a juventute meditatus est; idque ei *exemplum*, *Syllae*, *affinitas Marij*, *emulatio Pompeji*, *corruptela* & *perturbatio* Temporum facile suggererant. Viam autem sibi ad *Regnum* miro ordine sternebat: primum per *potentiam popularem* & *seditionem*, deinde per *potentiam Militarem* & *Imperatoriã*. Nam initio sibi erant fragenda *Senatus* opes & Auctoritas, qua salva nemini admodica & extraordinaria imperia aditus erat. Tum demum evertenda erat *Crassi* & *Pompeji* potentia, quod nisi *Armis* fieri non poterat. Itaque (ut *Faber* *Fortuna* suae peritissimus) primam structuram per *largitiones*, per *Judiciorum* *Corruptelas*, per *Renovationem memoriae C. Marij*, & partium ejus (cum plerique *Senatorum*, & *Nobilium*, *Syllana Factione* essent) per *leges Agrarias*, per *Seditiosos Tribunos* quo immittebat, per *Carilina* & *Conjuratorum insanas*, quibus occulto favebat, per *exilium Ciceronis*, in cujus causa *Senatus* Auctoritas vertebatur, ac complures hujusmodi artes, attollebat, & vehebat; sed maxime omnium, per *Crassi* & *Pompeji* & inter se, & secum conjunctionem, absolvet. Qua parte absoluta, ad alteram continuo partem accingebatur, factus *Proconsul Galliarum* in quinquennium, turisque in alte-

rum quinquennium, atque *armis legionibus*, & bellicosa & opulenta *Provincia* potens, & *Italiae* imminens. Neque enim eum latebat, postquam se armis & militari potentia firmasset, nec *Crassum* nec *Pompejum* sibi parem futurum; cum alter divitiis, alter *Famæ* & *Nomini* confideret; alter aetate, alter auctoritate senesceret; neuter veris & vigentibus praesidiis niteretur. Quae omnia ei ex voto cessere, praesertim cum ipse singulos *Senatores* & *Magistratus*, & denique omnes qui aliquid poterant ita privatis beneficiis devincto & obstrictos haberet, ut securus esset de aliqua *Conspiratione* vel consensu adversus suos conatus incundis; antequam aperte *Reipub.* invaderet. Quod cum & semper destinasset, & aliquando tandem faceret, tamè personam suam non deponebat; sed ita se gerebat, ut aequitate postulatorum, & simulatione pacis, & successibus suis moderandis, invidiam in adversas partes torqueret; seque in columitatis suae gratia ad bellum necessarium coactum praese ferret. Cujus simulationis vanitas manifeste deprehensa est, postquam confectis *Bellis Civilibus Regiam potestatem* adeptus, omnibusque *Amulis*, qui aliquam ei sollicitudinem injicere possent, e medio sublatis, tamen de *reddenda Repub.* ne semel quidem cogitavit, neque hoc saltem fingere aut praetextere dignaretur. Quod liquido declarat, cupiditatem & propositum *Regni* adipiscendi ei & semper fuisse, & ad extremum pervulsi. Neque enim occasionem aliquam arripuit, sed ipse occasiones excitavit & efformavit. In *Bellis* autem *rebus* maxime ejus virtus enituit, quae tantum valuit, ut exercitum non tantum duceret, sed effingeret. Neque enim major ei scientia affuit in *Rebus* gerendis, quam in *Animis* tractandis; neque id vulgari aliqua *disciplina*, quae obsequium assuefaceret ad mandata, aut pudorem incuteret, aut severitatem usurparet; sed quae miris modis audorem & alacritatem adderet, & victoriam fere praeriperet; quaeque *Militem* erga ipsum plus conciliaret, quam liberæ *Reipub.* conducebat. Cum autem in omni genere *Bellis* versatus esset, cumque *Artes Civiles* cum *Bellicis* conjungeret, nil tam improvisum ei accidebat, ad quod remedium paratum non haberet; & nil tam adversum, ex quo non utilitatem aliquam derivaret. *Personae* autem suae debitas partes attribuit; ut qui sedens in *praetorio* in magnis praesidiis omnia per *Nuncios* administraret. Ex quo duplicem fructum capiebat; ut & in discrimen rarius se committeret, atque ut cum res inclinare coepissent, praesidium per ipsius praesentiam, veluti *nova Auxilia*, instauraretur. In omni autem Apparatu & conatu *Bellico*, non tantum ad exempla res gerebat, sed nova & accommodata summa ratione comminisceretur. *Amicitias* satis constantem & singulari cum beneficentia & indulgentia coluit. *Amicorum* tamen hujusmodi delectum fecit, ut facile apparet, cum in querere, ut instrumenti, non impedimenti loco, *amicitia* eorum esset. Cum autem & natura & instituto ferretur ad hoc, ut non eminentes inter magnos, sed *Imperans* inter obsequentes esset, *amicos* sibi adunxit humiles, sed industrios, quibus ipse omnia esset. Hinc illud, *tra viventia*, *Cesare moriar*, & cetera id genus. *Nobilium* autem & *Aequalium* suorum *amicitias* ex usu suo ascebat: Ex intimis autem neminem fere admittebat, nisi qui ex se omnia speraret. Quin & *Literis* & *Do-*

ctrina

Utrina mediocriter excultus fuit, sed ea quæ ad *Civilem usum* aliquid conferret. Nam & in *Historia* versatus erat, & *verborum pondera & acuminia* mire callebat; & cum multa felicitati suæ tribueret, *peritus Astorum* videre voluit. *Eloquentia* autem ei nativa & pura erat. In *voluptates* propensus ac effusus erat, quod ei apud initiâ sua loco simulationis erat: Nemo enim periculum ab hujusmodi ingenio metuebat *Voluptates* autem suas ita moderabatur, ut nihil utilitati aut negotiorum summæ officerent, & *animo* potius vigorem quam languorem tribuerent. In *mensa* sobrius, circa *libidines* incuriosus, in *ludis* letus & magnificus. Talis cum esset, id ad extremum ei exitio fuit, quod ad principia sua incremento fuerat; id est, *studium popularitatis*. Nil enim tam populare est quam *ignoscere inimicis*: Qua sive virtute sive arte ille periit.

Imago Civilis Augusti Cæsaris.

Augusto Cæsari, si cui mortalium, *magnitudo animi* in erat in turbida, serena & ordinata: Idque indicant res illæ: omnium maximæ, quas ab in eunte adoleſcentia gessit. Nam qui ingenio commotiores sunt, ii fere adoleſcentias per varios errores transigunt, ac sub mediâ ætate demum se ostendunt: Quibus autem Natura est composita & placida, ii prima etiam ætate florere possunt. Atque cum *animi dotes*, sicut & *bona corporis*, sanitate quadam, pulchritudine, & viribus contineantur & absolvantur fuit, certe *Avunculo Iulio* viribus animi impar, pulchritudine & sanitate superior, illo enim inquietus & incompositus (ut sunt fere ii qui *Comitiali morbo* tentantur) se ad Fines suos nihilominus summa ratione expediebat; sed ipsos Fines minimè ordinaverat, sed impetu infinito, & ultra Mortale appetens, ferebatur ad ulteriora. Hic autem sobrius, & Mortalitatismemor, etiam Fines suos ordine admirabili descriptos & libratos habuisse visus est. Primum enim, Rerum potiri volebat; deinde, id assequi, ut dignus eo fastigio existimaretur: Dein etiam frui summa fortuna humanum esse ducebat: Ad extremum, addere se rebus, & imaginem & virtutem sui principatus seculis post se futuris imprimere & inferre meditabatur. Itaque prima ætate *Potentia*, media *Dignitas*, vergente *Voluptatibus*, senectute *Memoria* & *Posteritati* serviebat.

FINIS.

Epistola ad Fulgentium.

Reverendissime P. Fulgenti,

Fateor me Literarum tibi debitorem esse: suberat excusatio justa nimis; Implicatus enim fueram gravissimo morbo, à quo necdum liberatus sum. Volo *Reverentia* tuæ nota esse *Confusio* mea de *Scriptis* meis quæ mediator & melior; non perficiendi spe, sed desiderio experiundis; & quia *Poste-*

ritati (secula enim ista requirunt) inservio. Optimum autem putavi, ea omnia in *Latinam linguam* traducta, in *Tomos* dividere. Primum *Tomus* constat ex *libris de Augmentis Scientiarum*: Qui tamen, ut nosti, jam perfectus & editus est & *partitiones Scientiarum* complectitur; quæ est *instaurationis* meæ Pars prima. Debuerat sequi *Novum Organum*: interposui tamen *Scripta* mea *Moralia & Politica*, quia magis erant in promptu. Hæc sunt; Primo, *Historia Regni Henrici Septimi Regis Angliæ*; Deinde sequetur *Libellus* ille, quem veltra lingua *Saggi Morali* appellastis. Verum illi *libro* nomen gravius impono, scilicet ut inscribatur, *Sermones Fideles*, sive *Interiora rerum*. Erunt autem *Sermones* isti & numero aucti, & tractatu multum amplificari. Item continebit *Tomus* iste *libellum De Sapiencia veterum*: Atque hic *Tomus* (ut diximus) interjectus est, & non ex ordine *Instaurationis*. Tum demum sequetur *Organum Novum*; cui secunda pars adhuc adjicienda est, quam tamen animo jam complexus & metitus sum. Atque hoc modo *Secunda Pars Instaurationis* absolvetur. Quod ad tertiam Partem *Instaurationis* attinet, *Historiam* scilicet *Naturalem*, opus illud est plano *Regium*, aut *Papale*, aut alicujus *Collegij*, aut *Ordinis*; neque privata industria pro merito perfici potest. At portiones illæ quas jam in lucem edidi, *De Ventis*, *De Vita*, & *Morte*, non sunt *Historia* pura, propter *Axiomata & observationes majores* interpositas; sed genus *Scripti* commistum ex *Historia Naturali & Machina Intellectus* rudi & imperfecta; Quæ est *Instaurationis Pars Quarta*. Itaque succedet illa ipsa *Quarta pars*, & multa exempla *Machinae* continebit magis exacta, & ad *inductivas regulas* magis applicata. Quinto sequetur iste *Liber*, quem *Prodrorum Philosophiæ* secunde inscripsimus; qui *Inventa* nostra circa *Nova Axiomata* ab *Experimentis* ipsis excitata continebit; ut tenquam columnæ jacentes sustolantur: Quem posuimus *Instaurationis Partem Quintam*. Postremo superest *Philosophia* ipsa *Secunda*, quæ est *Instaurationis Pars Sexta*; De qua spem omnino abjecimus: sed à seculis, & Posteritate fortasse pullulabit. Attamen, in *Prodroris* (iis dico tantum, quæ ad universalis *Nature* ferè pertinent) non levia jacta erunt hujus rei fundamenta. Conamur (ut vides) tenues grandia: In eo tantum spem ponentes, quod videntur ista à *Dei providentia* & immensa Bonitate profecta. Primo, propter Ardorem & Constantiam *Mentis* nostræ, quæ in hoc Instituto non consenuit, nec tanto temporis spatio refrixit. Equidem memini me quadraginta abhinc annis juvenile *Opusculum* circa has res confecisse, quod magna prorsus fiducia & magnifico titulo, *Temporis Partum Maximum* inscripsi. Secundo, quod propter infinitam utilitatem *Dei Opt. Max.* auctoramento gaudere videatur. Commendatum, rogo, me habeat *Reverentia* vestra *Illustrissimo Viro Domino Molines*, cujus suavissimis & prudentissimis Literis quam primum, si *Deus* volet, rescribam. Vale, P. Reverendissime.

Reverentia tua Amicus addictissimus,

Fr. St. Alban.

LII INDEX